

Nathan Chyträus

**LEPIDISSIMAE ALI=||QVOT EPISTOLAE ET SATYRAE || PRAESTANTIVM  
POETARVM || NVNC PRIMVM IN GER-||MANIA EDITAE.||**

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., 1571

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1701922843>


Druck Freier  Zugang



Cq-1522/1



LEPIDISSIMÆ ALI-  
QUOT EPISTOLÆ ET SATYRÆ  
PRAESTANTIVM POETARVM  
NUNC PRIMVM IN GER-  
MANIA EDITAE.



ROSTOCHII.

A IACOBO LVCIO TRANSYL.

Anno M. D. LXXI.

DE  
STELLA  
AUREA  
EPIGRAMMA.



Vam primum emicuit Roseo STELLA  
AUREA Varno,  
Orta procul Gothicis aurea stella pla-  
gis:

Ex templo insolita micuit Venus aurea luce,  
Cæteraq; insolitum signa dedere iubar.  
Scilicet hac stella cæli quoq; sidera gaudent,  
Ridet ab æthereo Iupiter ipse polo.  
Aëra nam veluti rutilante hic lumine complet;  
Sic eadem meritis regna propinqua suis.

NATHAN CHYTRAEVS.

**GENEROSIS ILLV<sup>2</sup>**  
**STRIBVS ET MAGNIFICIS DO-**  
**MINIS, D. NICOLAO ET D. ERICO GVL-**  
**DĒSTERNIIS, D. GEORGIO AGERA, D.**  
**BENEDICTO GVLTEIO, Serenissimi Sueco-**  
*rum & Gothorum regis Cancell. Consiliarijs*  
*& Legatis, &c. Dominis suis*  
*clementibus.*



*Tvos, eximij proceres, quo*  
*carmine demum*

*Quo vultu excipiam? ô Go-*  
*thica bona sidera gentis,*

*Dudum nota mihi, dudum*  
*exoptata, perennem*

*Dum pacē expetimus res*  
*gnis gentiq; propinque.*

*Quæ nobis auro quouis magis aurea, cælo*  
*Iam redit, & miseris finem sperare periclis*  
*Imperat, auxilijs vestris fidoq; labore.*

*Pro tantis igitur meritis quæ munera, quæue*  
*Præmia finitimi reddent? pax omnibus vna*  
*Theauris potior; pax anteferenda triumphis*  
*Omnibus: hæc nobis vestro quoq; munere tandem*  
*Cum redeat: nihil est operas æquare fideles*  
*Quod queat, & dignas vobis persolvere grates,*

*A 2*

*Multi*

Multi multa licet studioſo peſtore tentent.  
Donabunt alij pateras, & præmia quondam  
Graiorum, tripodas: hic aurea ſigna locabit:  
Aut alij liquidis ornare coloribus ora  
Tantum heroum cupient: ego carmina pango:  
Carmine lætitiã teſtor, quam publica poſcunt  
Gaudia: perpetuas vobisq̃, hoc nomine grates  
Deberi, ex animo fateor, ſemperq̃, fatebor:  
Teſtis erit brevis, at præſtans bonitate, libellus  
Multa monens, plenus Charitum, falſiq̃, leporis.  
Quem capite illuſtres animæ, vultuq̃, benigno  
Perlegite, Aonidum celebres pacisq̃, patroni.  
Sic vobis placidos concedant æquora curſus,  
Sic patriæ vobis plauſus audire, reuerſis,  
Regis & eximij auguſtam contingere dextram  
Detur, & incolumes offendere ruruſus amicos,  
Pacifiq̃, vna ſuperare Antenoris annos.

V. D.

Obſervantiſſ.

NATHAN CHYTRAEVS  
MENCINGIVS.

AD EPISCOPVM  
ATREBATENSEM.

NICOLAI SICCI BRIXIANI  
EPISTOLA.



*E* me forte putes uana am-  
bitione furentem  
*D*esipere, atq; animum de-  
liro voluier aestu,  
*I*mmemorē sortis priscae,  
veterumq; malorum:  
*A*ccipe, cur uanos odi, quos  
nunc gero, fasces,  
*E*t quod conscendi, te concedente, tribunal;  
*A*udi quam dubium, atq; anceps discrimen agat me.

*H*ic mihi felices glebae, & bona iugera campi  
*E*uenere quidem: tamen hinc se spumeus amnis  
*P*raecipitans, mollem ripam vorat, & rapit vnda,  
*D*ecidui & partem semper furatur agelli.  
*P*arte alia torrens montano turbidus imbre,  
*A*ggeribus ruptis campo decurrit aperto,  
*V*ictor agens secum sata laeta, hominumq; labores.  
*A*t dices, quid tu interea teris otia? quid stas?  
*Q*uid tua iura sinis piger indefensa rapi? nec



Anteuenis, firmasq; tuum, facto aggere magno,  
Et terra, & saxis, & denso stipite, campum?  
Amnis uterq; rapax aprico arcendus ab agro est  
Longa mole tibi, vi multa, atq; obice multo.

At non quos dicam fortasse intelligis amnes;  
Hinc numero fidens aufert mea iura Senatus,  
Et res confundit nostras, tollitq;, rapitq;,  
Et rebus sese alienis ingerit audax;  
Inde nihil princeps durus non arrogat armis;  
Hi duo de summa imperij luctantur, agunt rem,  
Ille potens dextra, comto hic sermone disertus;  
Hic causa melior, arte at præstantior ille.  
Ut longurius in stabulo suspensus, equorum  
Non facile euitat calces; ut sæpe coorta  
Seditione graui in populo, iustissimus vnus  
Qui paci medium se offert, perit; hic ego sic sum  
Spectator pugnae, expectans quod me iubeat fors  
Ferre iugum, cuius victoris iurgia ferre;  
Interea torrens nunc hic nunc turbidus illic  
Decerpit ripas paulatim gurgite edaci,  
Et sensim pauper fines ita claudor in arctos,  
Ut mihi sint odio fasces, & inane Tribunal,  
Iustitiæq; manu frustra qui stringitur ensis.  
Et quamuis nihil hic iam sim nisi fabula vulgi,  
Multus verua mihi tamen est pascendus, & idem  
Terne quaterue procax renouandus vestibus anno,

Aulaeis

Aulæis ornanda domus mea, cum riget annus;  
Cum calet, extremis quamuis quæsitæ Britannis  
Sordent, nam melius paries ornatur Hibera  
Pelle, abeunte hyeme: atq; æstas cum feruet in agris,  
Temperat æstiuos pellis vitulina calores,  
Aut auro pulchrè, aut ferro signata calenti.  
Cenandum lautè est, ne si grauis adueniat vir  
Inuisum cupidi, & sordentis nomen inurat;  
Nam quamuis multus superet patrimonia sumptus,  
Inq; dies crescat, quod me grauat, æs alienum:  
Attamen, (est vt opus, vtq; est res credula) vulgo  
Credor habere ingens argenti pondus, & auri;  
Vnde nec hospitibus domus est claudenda superbis,  
Vndiq; quos fallax inuitat opinio, quæ me  
Per bibulas populorum aures, per compita vbiq;  
Vt benè felicem menduci prædicat ore.  
Stragulaq; exornant thalamos, pictiq; tapetes,  
Ne mea pauperies in lucem prodeat, & ne,  
Hospitibus nos accuset cariota suppellex.  
Nec minor hinc inopem stabuli subit altera cura,  
Vt scæno pascantur equi, nec desit auena;  
Et strigile eniteant multa in præsepibus altis.  
Acrius hæc miserum pungunt dispendia, quod non  
Soluuntur promissa mihi stipendia, quæ tu  
Munificus mihi larga dari, Cæsarq; iubetis.  
Vnde decimus mensis, ni fallor, labitur, ex quo

Germyna

Germanæ publi, quæ me comitatur, & anteit  
Immitis, nec dat quæstor licitoribus aurum.  
Interea miseris ne desit lens, olus, aut sal;  
Aes præsto, moriens, mihi quod pater ante reliquit,  
Quæsitum magna virtute, & paupere mensa.

Non tantum per plana citus volat atria turbo  
Reste puer quem multiplici, spirisq; coercens  
Innumeris, magno sublatum verberare iactat;  
Quantum ego perpetuo curarum turbine versor.  
Curarum quæ sollicitant noctesq; diesq;  
Ut videant, de me quod contigit ante pusillo  
Fortè homini, non est iucundior altera dictu  
Fabula, nec breuior: da te mihi, si vacat, audi.

Nanus erat binis quondam non longior vltis,  
Exigua insignis breuitate, atq; integer annis,  
Quem propter facti nouitatem, artusq; pusillos,  
Optabant hilares cænæ, & conuiuia læta,  
Hunc mulcere senes, pueri, innuptæq; puellæ,  
Et cupere, & læti circum amplexarier omnes;  
Felix, ni cuiicumq; homini sua displiceat fors,  
Hunc atrox propriæ breuitatis cura misellum  
Vrebat male, & occursans miseratio sortis  
Inuisæ: pro qua ille Deum incusare solebat,  
Assiduè obyciens tantilli corporis artus,  
Audyt orantem diuum pater optimus, & rex,  
Et quid, ait, nos obtundens prece sollicita, vis?

Procerus

Procerus fieri, & longos assurgere in artus,  
. An statura placet, communi longior? an qua  
Finibus, est homines inter, mediocribus? inquit,  
Opta animo, quamuis speciem, tibi namq; erit a me,  
Sive breui, seu tu mauis procedere longa.  
Consilij dubius, formaq; incertus in omni  
Haeret pumilio; at tandem: mihi forma Gigantis  
Supra hominem cubitus extans, aut quatuor, aut sex  
Longa placet; Deus esto Gigas, ait, & prece ne me  
Posthac sollicita, atq; in formi voce fatiges.

Nec mora, pinguescunt membris crescentibus artus,  
Corpus & in longum sensim producitur omne,  
Vt sole inclinante hominum fit longior umbra:  
Fitq; eadem noctu deprenso lumine maior:  
Sic, quantum cupit, exultans extenditur ille,  
Surgit in immensum, toto iam longior est pes;  
Hunc subito circumueniunt incommoda mille,  
Inprimis quaerenda illi domus amplior, & lar,  
Esuriens magnis pascenda laboribus aluus,  
Deciduisq; amplis arcendus vestibus imber;  
Ille ubi se obsessum damnis videt vndiq; caelum  
Respiciens, inquit tua me indulgentia perdit  
Iupiter, ipsa boni fallax me lusit imago,  
In formem inuisamq; mihi pater exue molem.

Tu Perenote mihi ille es, & pater optimus et rex,  
Qui obsequio victus dulci quondam, & prece blanda

B

Fecisti

*Fecisti è paruo me Pumilione Gigantem,  
Insignem ventre, & damnosum faucibus amplis  
Seruorum: qui me, & patriam ligurire queant rem.  
Hanc mihi tu ingluuiem famulorũ, et inutile pondus,  
Præcide, & tenues iterum me transfer in artus,  
Per genium, fratresq; tuos, perq; ossa parentis  
Sancta precor: vitæ tandem me redde priori.  
Ista tibi & musto, & satur autumnalibus viuis,  
Dictabam ruri, Venusino carmine, dum tu,  
In Gallos aditus numerofo milite tentas.*

AD CHRISTOPHO-  
RVM MADRVCCIVM

*Card: ac principem Tridentinum.*



*Ideor à doctis, quod scribens tam  
rude carmen,  
Ostendam id multis, nec me vllus  
iam pudor vrat,  
Sed iugulem incautos male com-  
pto carmine amicos,  
Qui temere occursant mihi, cum vitiata papyrus,  
Carnificem longo complectens ordine versum,  
Sub tunica latet, auditorem quæ male perdat.*

*Decipimur*

Decipimur stulti dulcedine carminis omnes,  
Cuiuslibet est ingens proprij vis insita amoris,  
Quæ nos præstigijs ludit fallacibus, & quæ  
Errores specie virtutis vestit, & ambit:  
Id facimus vates, quod turpis bestia quondam.

Iusserat edicto Deus accersier omne  
Quadrupedum genus, & catulos gestare sub vlnis,  
Millibus è multis regem facturus eum, qui  
Dignior atq; alijs forma præstantior esset:  
Cervus, Equus, Pant heras, Canis, Leo, Sus, Cap, et Bos  
Producunt fetus proprios, & laudibus ornant:  
Ultima deformem coram Ioue simia natum  
Hirsutum villo, turpi facie, & nate leni  
Fert, & ait. solam pater ô iustissime nostri  
Accipe spem generis pulchrum sine labe catellum,  
Cui debes meritum tituli regalis honorem,  
Insigni villo, nitida facie, & nate pulchra.  
Exoritur magnus turba ridente cachinnus,  
Cum Deus ipse à risu ingenti vix cohibet se.

Quilibet inuitus naturæ sic capitur vi,  
Vt sua cum doctis conferre poëmata libris  
Audeat, immeritam & petulanter poscere laurum:  
Vos ubi deformes vitiato in corpore mendas  
Cernitis, & turpes malefacti carminis artus,  
Sic facite, vt vobis si forte eat obuius alter  
Gibboso tantum tergo, sed cætera pulcher,

Atq; alter breuis, oblongus capite, & pede claudus,  
Vlceribusq; lacer, turpis, gibbosus vtrinq;  
Ingenti pietate illum excipietis, at istum  
Diducto licet inuici ridebitis ore.  
Sic nostro si sit versu tolerabilis error,  
Parte aliqua pulchri; faciles miserescite vatis:  
Sin fuerint distorta simul, & turpia membra,  
Vt collo caput, vt cruri non conueniat pes;  
Tollite cum plausu patefacta fauce cachinnum,  
Ridendi hanc veniam petimusq; damusq; libenter.  
Nec quandoq; tamen pudeat, legisse poëtam  
Vix superantem vrbis strepitum, & popularia verba,  
Elumbem versum cludentem, vt ego facio nunc,  
Esse solet plerumq; sub hoc sermone pedestri  
Nescio quid pulchri per verba latentis, & artis.  
Non semper qui grande sonat fert præmia vates:

Pinxerat ingenti cura magnoq; labore  
In tabula quondam Ganimedem pictor, & illum  
Mizdonio Regi dono portarat habendum.  
Forte illi hirsutum villosa pectore Apelles  
Squalentemq; situ, & turgentem gutture pleno  
Attulit aspectu: primo Rex risit, & inde  
Nunc roseum decus, & pueri florentis honorem:  
Nunc maciem, & turpes artus, robustaq; membra  
Villosi aspiciens hominis, deformior, inquit,  
Iste tuus puerum Ganimedem vincit Apelle.

Sed

*Sed nimis hæc longum prælusimus, ut citharædus,  
 Qui dum discordes sumpta testudine nervos  
 Indocto frustra concordat pectine nervos  
 In cruce suspensas circum se detinet aures.  
 Iam positus redeo nugis ad seria, quæ me  
 Insomnes cogunt longas producere noctes.  
 Namq̃, vrens postquam stimulus me impellit honoris  
 Linquere derisum populo insultante Tribunal:  
 Verso animo assidue, quæ me Vrbs vicina, locusue  
 Excipiat reducem, positus insignibus, & quo  
 Nostra sinu cedat sensim inclinata senectus.  
 Ut navis vexata diu maleflantibus Euris  
 Ceca nocte furens, nescit quo vis ferat, & fors:  
 Sic ego, quem venti invidia luctantis, & æstus  
 Ambitionis agunt in præceps; indigus artis  
 Ageminis trepidè portum Pollucibus opto.  
 Vos mihi, vos estis fulgentia sidera, quæ me  
 Per scopulos oris rapidi, per lurida linguæ  
 Murmura, & infames dominante libidine ventos,  
 In tutum vebitis portum virtutis amicæ,  
 Tuq̃, Atrebasq̃, meus, nostri duo lumina mundi.  
 Dicite vos animæ illustres, quæ certa carinæ  
 Sit statio, quam iam rodit cariota senectus.  
 Non vos Insubres inter laudabitis, ut sim,  
 Aemula ne occurrens grauium mihi turba virorum  
 Audeat, ut voti compos, illudere victo;*



Neue seni vt fecere animalia bruta Leoni,  
Certatim insultet petulans, & praua iuuentus.  
Urbe minus Venetum suadebitis vt teneam me:  
Ne niue candidior, pura pice nigrior Idæ  
Sit Veneto mea sancta fides suspecta Leoni.  
Ampla mihi nec sunt Romana palatia cordi,  
Nam nisi mitra biceps ibi cingat tempora, vel me  
Purpurei insanum pascat spes magna galeri;  
Quid facerem sine seruitio, sine honoribus, hospes  
Paruo animo? neq; enim fas est obrepere tantum  
Stultitiæ, vt possim spe solum pastus inani  
Ista diu versare leui deliria mente.  
Vnde mihi hæc tantum superest spes certa salutis,  
Vt tandem excussoq; iugo, vinculisq; solutis  
Aut curru uehar, aut lumbos lassante caballo;  
Pomifero donec Benaci in margine sistar,  
Conductaq; lacus nitidi lympham, rate sulcem,  
Ad tua confugiens reduci pede limina, quæ me  
Tranquilliq; status cupidum, placidæq; salutis  
Excipiant, & amica meæ dent commoda vitæ.  
Sed vereor, ne qui quatientem molliter vndam  
Non tulit, hunc rapido deprehendat turbine vortex  
Spumeus, infidi vestræ maris ambitionis,  
Qui magis horribili vento, & maioribus astris  
Sæniat, & miserum dominante cupidinis aura  
Per scopulos Regum, per magna Palatia iactet.

IO. AN.

IO. ANTONII VVLPII  
NOVOCOMENSIS.

AD HIERONIMVM DANDINVM  
EPISCOPVM FOROCORNELIEN.

SATYRA PRIMA



Quod te interpellem nugis, dum pu-  
blica tractas

Munera, & ingenti rerum molimi-  
ne anbelas:

Des veniam, vel te culpes Dandis  
ne necesse est;

Qui mihi dum comis nimium, nimiumq; benignus

Das faciles aditus; sepulisq; & diuite mensa

Excipis, hos à me male sanos elicis ausus.

Contra alij quidam, bifida qui tempora mitra

Cingunt, congressus fugiunt, turbamq; precantem

Colloquijs arcent, centeno poste, ministris

Et totidem oppositis; Quod si (cum maxima rerum

Postulat hoc moles) precibus vel munere nouam

Irrumpas; decimæ truderis limine portæ.

Tu facile ingènium natura, mitius arte

Efficis, hinc casu aduerso tristaris amici,

Non

Non secus atq; tuo, curis & frangeris ijsdem.  
Hoc tibi me cogit causas exponere, quare  
Sortiti dominum clarum natalibus, annis,  
Fortunis, animo illustrem, virtutis amicum,  
Post sextum mensem Roma discedimus, hoc tu  
Fortè malum ducis; nos contra; si vacat, audi.

Me pater haud vilis susceptum coniuge honesta  
Primum natorum sex, vix santhem, ac pede firmo  
Tentantem gressus, semotam ablegat in oram,  
Scilicet vt possem post prima elementa, latinum  
Et Graium pelagus, tuta sulcare carina.  
Euentus poterat voto arridere, quod essem  
Ingenio haud stupido prorsus; cum quattuor annos  
Atq; decem nato, rapuit Libitina parentem.  
Inde domum rediens cesso, lustrumq; supine  
Traduco; post me patruus patria expulit, atq;  
Ticinum misit, tabulisq; incumbere bis sex  
Iussit, scita decem queis sunt inscripta virorum.  
Hic ego sub claris hausi documenta magistris  
Militiae, impleuiq; nouem stipendia, post quæ  
Emeritus mittor donatus cum rude lauro.  
Post hæc in patria turba comitante clientum  
Dum causas agito, & defendo; iura popello  
Tetrica responso; non parua pecunia, verum  
(Quod maius duco) mihi gratia quæritur ingens,  
Hinc legor & populi, sanctiq; ex mente Senatus

Qui

Qui lustrum condam, qui scribam ciuica iura,  
Iudicio & præsim; post nostra missus ab Vrbe  
Legatus, faciles lassauit Cæsaris aures.  
Quid quæris, proprias tumido dum proijcis ore  
Laudes? hac poteram fortuna viuere lætus:  
Ni mihi, ceu stipulis ignes, iniecta fuisset  
Ambitio, nobis dum proponuntur honores,  
Atq; aurum; dum tu occurris, pariterq; Maphæus,  
Atq; alij proceres, qui orbis tractatis habenas  
Ob merita, expendo curas, tantosq; labores,  
Insomnes quæ vos cogunt traducere noctes;  
Captus opum tanto splendore, & lumine, claras  
Ceu Satyrus quondam flammis exurere sensi.  
Si mihi non stabat Paris suffulta columnis  
Regia; nec sensus fallentia marmora: saltem  
Culta domus fuerat: tenuis, sed munda supellex:  
Qua exciperem insignes homines, ex classe secunda:  
Communis queis nostra fuit semper domus, & res,  
Et census paruus certè, at sine crimine partus.  
Ire salutatum nos atria nulla potentum  
Cogebant; multa cum limina nostra salute  
Feruere. fuit & comitum lætissima turba,  
Quos nobis mores, studium, & par iunxerat ætas.  
His ego gaudebam. Domini cum nomine Romam  
Aduocor; haud credo; sed te vult: me vocat ille?  
Sic est; at ludis, quid enim stupidi atq; pusilli

C

Me

Me ingenij cupiat tantus Rex? Est ita. me inquam?  
Tertia deinde venit; nuto: sed epistola quarta  
Expugnat, (quis enim multis magnisq; repugnet  
Promissis?) mitto quæ sors sperare iuberet.  
Ex illo, & patria & comites sordescere nobis  
Capere, & fastu sensim turgescere pulmo.  
Hinc tumidis ducens ingentes follibus auras,  
Omnia magna sono, Reges, Diademata, Mitras:  
Ante oculos stat Roma mihi, noctesq;, diesq;, 104  
Hæret Roma oculis, in somnis cernimus arcem,  
Rostra, theatra, forum, Saturni templa, suburræ.  
Flentibus hinc socijs tandem discedimus, armos  
Argento grauida nobis lassante crumena:  
Omnia, dum propero, retinent me: in liminè primum  
Offendo, valvis laceranda, & vestis adheret:  
Claudicat acer equus soleis offensus: ab ali a  
Ilice parra canit: læua occurrit lupus: anguis  
Rumpit iter: pluuia, altisq; erumpentia ripis  
Flumina nos tardant: properauimus attamen, & Djs  
Iratis, magnæ perueni ad mænia Romæ.  
Hic dominus, quod erat curarum pondere magno  
Oppressus, sero me admittit ad oscula dextræ:  
Excipit & blandis verbis, & fronte serena.  
Quæ nutantem animum firmarent: Inde suorum  
Scribimur in numero. sed bina cubicula primum  
Conducenda mihi: stabulum post; deinde culina:

Quæ

Quæ quater videntas cogunt nos pendere drachmas  
In mense. At dominus promisit, ferre necesse est  
Conduſ ait, multo quod regia plena cliente est:  
Si dispensator iubet, hospitijue magister,  
Chironomo, scurræ, productori, aut citbarædo  
Assurgam. quid enim? pereat ne sportula, quippe  
Tres nobis numerant nummos mercede diurna,  
Cū pueris, et equo: hinc quærenda caro, hinc olus, hinc  
Hinc oleum, scombri, pernæ, vilesq; phaseli. (Sal,  
Odit enim lepores, turdos, conchilia, mullos,  
Mensa mihi & pueris communis. sportula quamuis  
Sit tenuis, quæ vix oleum præbere lucernæ  
Sufficiat; nobis nunquam datur integra, auaro  
A quæstore aliquid semper deraditur, vltra  
In primo quod nulla mihi sit reddita mense.  
Præpositus stabulo domini, negat ordea, fœnum,  
Et stramen. negat ille mihi? negat improbus: ardet  
Intus bile iecur: descendo ad iurgia: tandem  
Post quartum mensem vilem metitur auenam,  
Et putrem culmum, pudeat quem sternere, & illam  
Quæ in vacuas paleas & purgamenta recedat  
Si cribro excutias, non assignatur equilis  
Aut locus, aut statio. post tres cellarius horas  
Dimittit puerum tandem, redit ille lagena  
Dimidia, verum sic dilûta, vt mihi Tybris  
Fluctuet in stomacho, dum credo hausisse Falernum.

Hic ego tot peream dominis? tot pessima liber  
Facta seram? semper me impunè á poste repellet  
Ianitor implumis, rosea facie, cute leui,  
Cirrataq; coma? si non dstringimus enses  
Fulmineos, liceat genuinum frangere, more  
Lucili, generet rabies ne pressa venenum.  
Mitto quanta tuli, patiarq; incommoda; mane  
Summo, profilio stratis, & currimus vsq;  
In Vaticanum, pluuijs seu solibus æther  
Sæuiat: hic stantes aliquot cosumimus horas,  
Vt dominum videam, quem claudunt ostia centum,  
Atq; aditus centum. populis vt præbeat aures  
Egreditur tandem, quem nos veneramur, aperto  
Et capite, & genibus flexis. dum quisq; videndum  
Proponit sese, impellor, turbæq; procella  
Iactor: postremus tum ne sim, viribus, ausu,  
Et cubito rumpenda via est. si forte uebatur  
Aut mulo, aut rheda, raptim sequor, ilia equorum  
Tundens, post redeo per fusus pallia cæno.  
Post ea, cum dominus discumbit, stans ego contra  
Illi me oppono, vt si tollat lumina mensa,  
Me videat: lustroq; oculis si fortè beatum  
Me obtutu faciat: si me seruire parato  
Vtatur: si sponte aliquid mandet, iubeat ve.  
Sed frustra ante oculos versamur, nanq; secundus  
Tertius, & quartus mensis mihi labitur, atq;

Post

Post quintum, sextus, cum nec mandata, nec vllum  
 Accipio à domino verbum; comis tamen ille,  
 Omnibus arridere, ioco perstringere, & vltro  
 Compellare: tamen solus dimittor, vt ille  
 Quem vel relligio, aut pestis congressibus arcet.  
 Hinc nos sollicitant curæ, indignatio flammæ  
 Excitat, & rabies nigrum vomit ore venenum.  
 Ergo ego qui vt scribam, aut responsem ciuica iura  
 Euocor, hic tantum spectator Laocoonti  
 Seruio marmareo? præceptis Pithagoræis  
 Vincior? Harpocratis factus sum ad templa sacerdos?  
 Debebas illum tu compellare; ego ne illi  
 Quem tantæ exagitant curæ, quem tanta fatigat  
 Congeries rerum, me ausim præbere molestum?  
 Exciuit; veni. sto coram. me videt ille  
 Luce vel inuitus; tu Sauli, tuq; Maphæe  
 Tuq; Ioui, profertis me: respondet at ille  
 Comiter, est cordi, meminî, cum tempus erit, tunc  
 Accersam; at cesso: tentem Dandine quid vltra?  
 Quid faciam? patere; hic nobis plus deperit vno  
 Mense, animi cultus, quam quod profecimus anno:  
 Euolat è loculis æs: curis vrimur: vltra  
 Quod mihi relligio est, domini consumere fruges  
 Segniter, & lecto, atq; epulis traducere luces.  
 Rusticus Aufidius, conducti cultor agelli,  
 Assuetos curuo glebas versare tridente,



Et segetes sarrivē, boues & iungere; multo  
Cum frangi interdum sentiret membra labore;  
O fortunatum (dicebat) cui datur urbem  
Incolere, & duri vitare incommoda ruris.  
Sors fauit, vocat hunc quidā heros magnus in urbem,  
Accurrit turgens, spe atq̄ ambitione laborans,  
Delicijs capitur: thermas, & compita lustrat,  
Atq̄ forum; sed dum dominus nihil imperat illi;  
Oscitat, & vacuus cessat, luditq̄, canitq̄,  
Multa dies tamen et superest, nunc otia damnans  
Vrbis conqueritur tardos procedere soles:  
Hinc sese incusans quod vitam ferre priorem  
Nescisset: dominum conuenit, me mihi dicens  
Me mihi redde precor, vita ne fungar inertii:  
Et menti & neruis obducunt otia callum.  
Ne si forte tibi me inuisum fecerit ætas,  
Atq̄ tuis domibus migrandum sit mihi; serò  
Præterijſſe dies doleam, quod rustica nobis  
Ars pereat, nequeamq̄ assuescere membra labori.  
Sic mihi, ne ingenium, assiduo quod vomere fossum  
Vix ferat ingenuas fruges: si cesset opella;  
Ad tristes redeat stipulas; secedere præstat.

Num dominū culpas? me accuso, quod nimis audax  
Huic tanto seruire viro me posse putavi.  
Fortunamq̄ meam damno, quæ nesciat vti  
Re oblata? Dominum culpem? quis mitior illo?

Munificus

Munificus ñe magis? cum fulgeat omnibus æquè  
Sol, si durefcit cœnum, si cœra liquefcit,  
Hæc potius solis radios accuset; an ipsam  
Naturam, quæ non valeat durefcere? comis  
Omnibus est dominus, negat hoc quis? sed mihi (nostrũ  
Peccatum fateor) nimis est durus, grauis, asper.

Has Dandine putas causas, quod linquimus vr bis  
Mœnia, & armato stimulamus calce caballum?  
Falleris (vt mittam quod cura domestica dudum  
Me vocat, vt nisi crescat, saltem ne pereat res)  
Vrget me maior ratio, nam cura salutis  
Et vitæ, nobis præponitur ambitioni,  
Atq; opibus: licet illa alijs sit vilior algæ  
Est mihi cara, ideo lethi eripienda periculis.  
Sine cibi vitio, seu cœli, siue Falerni  
Eueniat; seu fortè animis illustribus aer  
Hic solitus; nutrire negat viles, & vti nos  
Degeneres: ego semper torqueor, atq; laboro  
Et stomacho & capite, hoc semper vertigine circum  
Voluitur. aũt illud besternæ pondere cœnæ  
Assiduo turget; iam septima præterit hora  
Cum marcescit adhuc. saltamus, currimus, at nil  
Proficimus. si sit cœnandum; fercula sordent  
Languenti stomacho: haud obsonia lauta palato  
Respondent: digito in guttur, ceu pharmaca, cœnam  
Farcio, viuendum quoniam est, & pondere pondus  
Trudimus.

Trudimus; hinc macies artus, hinc occupat ora  
Pallor: tabescunt sensus, croceæq; pupillæ  
Caligant, crudosq; cibos tussi excreo anhela.  
Sic ego qui vaccas auias, proauosq; elephantas  
Possẽm concoquere: offa nunc, medio & grauor ouo.  
Contempti augentur morbi, præsensq; minantur  
Exitium; si nos paulum præcidere causas  
Differimus lenti, quas non lenire valent  
Pharmaca, vel succi, medicinæ uẽ author Apollo:  
Viure commoditas magna est, summumq; bonum; ergo  
Sedandæ ingentes curæ, quibus enecor, ipsi  
Quod sim despectus domino, fugienda Quirini  
Infamis regio, & cælum graue: nostra petenda  
Est patria: hæc, quod nos dederit vitalibus auris,  
Aut alet, aut saltem producet funera; Roma  
Discedo, quod vita mihi, quod cura salutis  
Haud spernenda fuit: causam hanc adducimus vnam:  
Quam si forte probas tu, Saulius, atq; Maphæus,  
Quos veneror nostri tanquam tria lumina secli,  
Curarim nunquam quid latret cætera turba.

AD

AD ALEXANDRVM  
FARNESIVM CARDINALEM  
SATYRA SECVNDA.



Lter Farnesi nobis iam labitur  
annus,  
Ex quo causatus capitis stomachi  
q̄ laborem  
Discessi Roma, te permittente be-  
nigne.

Et quamuis valeã bene nũc (Dys gratia habenda est)  
Vt proficiscenti iussisti, & pollicitus sum,  
Ad te non redeo tamen. at male iussa, fidemq̄,  
Fallens? constituo, & prope certum est nolle reuerti.  
Ne tibi me purgem, fateor peccare, queas vt  
Me iure erronem desertoremq̄ vocare:  
Sumere si cupias pœnas, diciq̄ seuerus.  
Vt libet, haud iniusta feram. quod si esse benignus  
Comis, & humanus mauis, (ceu te Itala tellus  
Iampridem iactat) parces, errata remittens.  
Prætereaq̄ mihi debere fateberis. hoc cur?  
Parcere nam magna est virtus: hanc assequitur quis  
Virtutem, si non sit qui peccauerit? ergo  
Officium cogit tibi me debere; sed vnde

D

Digressa

Digressus fueram, illuc nunc redeo; redeam cur  
Romam? percunctor te hoc ipse, tui ne, mei ne  
Causa, me esse velis Romæ, & ratione probes qua  
Scire velim. at si vis, quia sic libet; vltterius nil  
Perquiram, sed mox properans per tela, per ignes,  
Mutatos flagro stimulabo, & calce caballos.  
Quod si desit equus, possum pedes ire, Padumq;  
Iratum, & cani superare iuga Apennini.  
Possum ego vitales (tibi dum tamen obsequar) auras  
Fundere, & exiguæ vsuram contemnere lucis.  
Seruitio at credis si me haud fortassis ineptum  
Esse tuo; doleo quod decipiari: tamen ne  
Imprudens fallâre, tibi exponam omnia, sic vt  
Institor, emptorem qui non postponit amicum  
Lucro, venalis narrat vitia omnia mercis.  
Primum, proueniat quod nostro à corpore, nullum  
Seruitium expectare potes: quoniam male Regi  
Assuescit seruire rudis morum, artibus ægris,  
Atq; incompositis: nisi me obiectare periculis  
Expediat, serues vt te, & monstro obycere offam.  
Nec fidibus, nec voce scio: nulla ars mihi mensæ  
Vel thalami, vel qua valeam extorquere cachiunos.  
Regia si nostra posset splendescere forma,  
Alliciens oculos hominum, velut ænea signa,  
Aut pictæ tabulæ, aut vecti ex oriente tapetes,  
Gauderem; sat neq; sum (quod nosti) hunc aptus ad vsus  
Corpore

Corpore sum longo, exiliq̄: inclinat in armum  
 Ceruix, quæ capitis succumbit pondere: pallet  
 Os: macies rictum producit: cærulea nictant  
 Lumina: nec barba decorantur tempora: tantum  
 Prominet à mento spirillum, hirtumq̄, piloq̄  
 Subruffo, cui (si vulgo assentis) male credas.  
 Defluit ex humeris semper toga: calceus autem  
 Sordidus. At commissa teges secreta, fidemq̄  
 Seruabis: verum hoc etiam vt sit: quæ tamen ista  
 Est virtus? melius præstant hoc marmora, mutæ  
 Et statuæ; hoc solo laudabor? si valeo quid,  
 Ingenio id valeo, quod nec frangat labor, vt si  
 Me dictare velis, vel scribere ciuica iura,  
 Vel respondere, & (sua sit cum insania cuiq̄)  
 Nos etiam interdum insanimus carmine: sed quod  
 Non valet & non vult parere precantis amici  
 Verbis: non iussis Regum, pretio ve potentum.  
 Sed tibi quid notum nitor me ostendere? nosti,  
 Vidisti. sed me quoniam haud audire loquentem  
 Contigit, hoc fateor, me nec mediocriter aptum  
 Seruitio esse tuo; ergo hoc vile & inutile mitte  
 Mancipium; nisi te delectent Cercopithecî,  
 Aut nani informes, monstrorumq̄ id genus omne.  
 Postquam seruitium auersare; acquirere liber  
 Famam & diuitias poteras; ego quærere famam?  
 Quo medio, ingenio ne? an sic me lumine captum

Ducis, vt ingenijs quibus omnis Roma referta est  
Me conferre velim? plaudebam olim mihi, Roma  
Non dum per spectata: nec mox concurrere doctis  
Romæ ausus, sensi tum primum quàm nihili essem.

Viderat è celsa mus quondam rupe iuuenos  
Certare inter se, longè in conualle reducta;  
Quare auidus pugnae se æqualem dum putat illis  
Deceptus visu, decurrens credere campo  
Audet se: propius sed maxima corpora cernens,  
Et molem ingentem; nil si se conferat illis  
Esse ratus, referens se retro, aut hi tumuere,  
Ni visu fallor; vel nos decreuimus, inquit.

Nunc ad diuitias redeo, licet exiguae sint  
Nobis fortunæ; vrit opum me nulla cupido,  
Vel desiderium; rides; & imagine vulpis  
Quæ iurat gallo non vesci elusa rubenti,  
Me ludis; fateor, si me faceres locupletem,  
(Quod potes, & velles, hoc si tamen exigere à te  
Ausim, non quod sim meritis, sed quod tua gaudet  
Munificam cum se natura ostendere possit)  
Si non letarer, non ferrem fortè grauatè:  
Sed quæ ad diuitias ducit via? dispeream si  
Hoc noui. studium & labor, vt sim vtrique paratus  
Venalisq; simul; quis nos conducet, in vrbe  
Ignotus cum sim? Romæ sine tempore notum  
Esse putas? quid ais, sed quanto tempore? mense?

Aut

Aut anno? properas, addatur & vnus, & alter,  
Hoc nihil est; nihil hoc? totam ergo perdere oportet  
Ætatem, & curis angi noctesq; diesq;  
Vt ditere senex? Vt multo splendeat auro  
Funus? sarcophago & felix tumuleris eburno?  
Nil moror hæc: quoniam interea mihi res perit omnis:  
Annus abit: scenus soluendum est: vrget agellus,  
Ac domus: à nobis prece compilatus amicus  
Instat: versuram facio: tandem ære alieno  
Pressus, deficio, Romæ hoc cognouimus ipsi  
Experti. quid opes iactas; summum esse bonum quid  
Censes? virtutem. quid deinde malum? vitium; ergo  
Nec mala paupertas, nec opum bona copia; cum non  
Hanc vitium aut illas virtutem dicere possis;  
Efficient omni quin viuas tempore felix.

Est aliquid coccum induere, & laquearibus aureis  
Vti, quis negat hoc? magno procedere cætu  
Stipatum: sit apud Regem cui gratia prima:  
Quenam? cum libitum sit semper in aure susurret:  
Sit coniuua frequens: & quodlibet impetret: est hæc  
Maxima res, si non lateat sub melle venenum.

Sed mihi dic, nostinè vt Gratia pingitur? Ingens  
Est rota, cardinibus volucris axe innixa, rotata  
Quam rapido semper versant hinc casus, & hinc sors:  
Stat super hanc vno tantum pede Gratia, librans  
Nutantem gressum, & iam prænsat nubila, cælumq;

D 3

Attingit



Attingit digito: huic ante Assentatio prona  
Arridet, stupet, & solum præsentia laudat.  
Ponè statim subeunt Odium, Indignatio, & ardens  
Inuidia, & quam mille doli fraudesq̄, sequuntur:  
Omnes hæc laqueis, tormentis, ignibus, vncis  
Incautam obseruant, tergum testudine pulsant,  
Perfodiuntq̄, latus longè fallente sagitta;  
Quæ titubans vno vix stat pede, ferre tot ictus  
Insidiasq̄, nequit, quin det prostrata ruinam.  
Commoda si pendas, & cuncta incommoda, quæ fert  
Gratia, (dum trutinæ sunt æquo pondere lances)  
Ad terram hanc videas, ast illam ad sydera ferri.  
Hæc mala qui videat, cupiatq̄, hac peste beatus  
Esse, refer medico quod demens mente labore.  
Vt verum fatear, tecum dum contigit esse  
Romæ per multos menses, cum gratia apud te  
Nulla foret nobis, cum nec sermone beares;  
Me quidam ridere videns, & ludere, curis  
Quod sis despectus Domino, non vreris? inquit.  
Quid narras? immo illi plus debere fatemur,  
Quod finit hac peste & curis nos esse solutos.  
Accipe diuitiæ, & quanti sit gratia apud me.  
Quid? quod nil distant fortuna ductus ab ima,  
Et rex: ipse tibi possum concurrere, claro  
Et Ghyzio, etsi vos vocet omnes Roma beatos  
Fortunis, animis, & forma corporis. hoc cur?

Mille

Mille licet capiant vix vestras horrea messes,  
Quas nos seruamus cumeris: num propterea plus  
Quam nos cœnatis? num vinum dulcius auro  
Aut gemma bibitur, quam vitro? num altius ac nos  
Stertitis, Attalica in thalamis quod stragula fulgent?  
An latus clauus distinctus murice & auro,  
Quam toga, scit melius frigus propellere, & hymbres?  
Tercentum vobis serui famulantur; at vnus  
Nostra puer iussa obseruat, solusq; ministrat  
Pro multis, sternit lectos, mensamq; propinat,  
Est mediastinus, structorq;, & deniq; cunctis  
Officijs valet. ingens vos comitatur euntes  
Cætus: me tres, aut ad summum quinq; clientes  
Nostra quibus pretio vox est conducta, sequuntur.  
Deniq; vt absoluam vno verbo, æqualia cuncta  
Sunt, nec Rex distat censo capite, est tibi tantum  
Quantum opus est, et quod naturæ alimenta ministret,  
Id cape, ab exiguo aut magno, nil distat, aceruo.  
Quid? quod fortunæ sua sunt incommoda cuiq;  
Maioresq; agitant maiora pericula: sicut  
Non vrget lepores, sed apros, vrsosq; molossus.  
Vruntur reges curis maioribus: altè  
Insidet ambitio: cupiunt seuire, quibus cum  
Sunt inimicitia, horrent; si forte insonuit, quid  
Ne cadat à seta gladius qui pendet equina.  
Quid memorem cædes? aconita? & cætera, toto

Quæ


Quæ quamuis numerè assidue, haud tamen assequar anno.  
Horret nostra etiam fortuna pericula, sed quæ  
Sunt citra vitæ discrimen; deniq; certum  
Quod laudes & quod damnes fortuna habet omnis.  
Sum pauper, me multa premunt incommoda, tu ista  
Cernis; ego video tibi quæ vrat mantica tergum.

Instratus sonipes auro, cui terga premebat  
Ære micans eques, ut fama est, ridebat a sellum  
Quem pastu exiguo macrum, nimioq; gementem  
Pondere, verberibus, stimulisq; urgebat agaso.  
Tu potes aiebat, tot verbera, onusq;, famemq;  
Ferre? tibi lippus, qui aliena incommoda cernis  
Tam bene? nil prorsus urgent respondit a sellus,  
Ilia perfodiunt stimuli: vrunt ora lupata:  
Truderis in contos, ensesq;: eques vlcerat armos.  
Hoc nihil est? ære an distat lignisue graueris?  
Tu mala nostra arridens cernis; ego sic  
Et tua: fortunæ quoniam est sua sarcina cuiq;.  
Hac ratione tibi æquales nos dicimus esse  
Farnesi, quod opes, quod gratia multa venena  
Celant, non secus ac hamum tegit esca dolosum.


Hæc est nostrarum nugarum clausula, Romam  
Me non venturum, quoniam tibi inutilis essem  
Et mihi damnosus, quod si iubeas, quia sic vis, (est  
Tuc præceptis veniã; non sponte quidẽ, at quia honestũ  
Nostra tuo obsequio postponere commoda semper.

F I N I S.





Quae quamuis  
Horret nostros  
Sunt citra ventos  
Quod laudes  
Sum pauper  
Cernis; ego  
Instratus  
Aere micans  
Quem pastus  
Pondere, veni  
Tu potes aieb  
Ferre? tibi l  
Tam bene? n  
Ilia perfodiunt  
Truderis in c  
Hoc nihil est  
Tu mala nostros  
Et tua: fortun  
Hac ratione t  
Farnesi, quoda  
Celant, non se  
Hæc est n  
Me non ventu  
Et mihi damna  
Tunc præceptu  
Nostra tuo ob



idue, haud tamen assequar anno-  
tuna pericula, sed que  
n; deniq; certum  
anes fortuna habet omnis.  
remunt incommoda, tu ista  
erat mantica tergum.  
ro, cui terga premebat  
ma est, ridebat a sellam  
um, nimioq; gementem  
nulisq; urgebat agaso.  
era, onusq;, famemq;  
ena incommoda cernis  
rgent respondit a sellis,  
runt ora lupata:  
; eques vlcerat armos.  
at lignisue graueris?  
ernis; ego sic  
est sua sarcina cuiq;  
nos dicimus esse  
gratia multa venena  
n tegit esca dolosum.  
garum clausula, Romam  
am tibi inutilis essem  
iubeas, quia sic vis, (est  
onte quide, at quia honestu  
nere commoda semper.

T I S.